DEO OPT. MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA, *

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis decimo-septimo mensis Martii Anno Domini M. DCC. LXVII.

M. LUDOVICO-ALEXANDRO GERVAISE,

Bibliotecæ Facultatis Præfecto, Doctore Medico, Præside.

An Melancholicis Peregrinatio?

I.

QUOD in praxi medicâ quæ ad absentem sanitatem revocandam pertinet, imprimis observandum est, ut contraria contrariis debellentur, idem in Hygieine quæ circa præsentem conservandam tantummodo versatur, nonnumquam etiam spectandum venit. Neque enim simile potest omnibus adhiberi regimen, nec idem alimentorum genus, nec eadem aëris temperies, nec æqualis somni mensura neque par exercitii modus, nec vitanda denique omnibus animi pathemata: ab his communibus viis deflectere aliquando utile est, habitâ scilicet temperamentorum ratione, quorum aliis quæ prosunt, aliis nocere possunt. Quòd si omnibus hominibus unum & idem temperamentum natura constituisset, una quoque & eadem sanitatis servandæ ratio foret; cum in omnibus & singulis fibræ nec rigidiores, nec laxiores essent, liquores nec vividiùs propellerentur, nec segniùs,

* *Author. M. BERCHER*, 1741.

nec ob nimium calorem & motum acriores, nec ob segnitiem & torporem fierent obtusiores; unde pari in temperamentis habito modo, par quoque in conservandis modus haberetur. Sed longè aliter à naturâ institutum est, quæ ut in formâ, sic & in temperamento varia est & diversa. Alii biliosi, alii pituitosi, alii sanguinei, alii melancholici. Suum ergo speciale est cuique regimen, prout hinc temperamentum ab æqualitate recedit, Medicus illinc excedens contrariis oppositis ad debitum modum revocabit. Et ut Imperator aciem, locorum & hostium ratione disponere debet, importunis situ locis, firmissima præsidia, munitis infirmiora collocare: Medicus temperamentorum ratione res non naturales ordinare debet: diætam debilioribus imperare corroborantem, plenioribus tenuiorem, mollioribus excitantem, vividioribus temperantem, segnibus motum, tristibus hilaritatem, obscuris dissipationem. Sic peregrinationem Melancholicis impertimur, quorum quidquid mentem varietate exhilarare, corpus exercitatione agere possit, tristis indoles efflagitat.

II.

OBSCURAM Melancholici mentem lividus pallor, tristis aspectus, frontis severitas, truces oculi ac pænè feroces satis apertè declarant. Quod etiam certiùs ex illius habitu atque affectibus colligitur. Studiis deditus assiduis, nec ulli recreationi indulgens cum quâcumque relaxatione divortium facit sempiternum; scientiis, libris, museo inexpugnabili meditatione hæret: illi remissio intenta, studiosa ambulatio, laboriosa oblectatio, quies sollicita. Improbâ animi contentione laborans, ac quasi *helluo librorum* solitudinem & latebras avidus requirit, hominumque se eripit commercio; quin & iis circumfusus, ab iis sejunctus est & in illorum societate solus, inter colloquentes silens, inter hilares tristis, inter ridentes severus, inter ludentes meditabundus. Cum iis communicare cogitur; adeo morosus est ac difficilis ut sibi vicissim reddat alienos, quibus ipse admodum est alienus. Illius denique nemo unquam compos, nec ipse sæpè sui. Gravatam etenim mentem infelicissimæ brevi cogitationes invadunt. Inanes mortis terrores morborumque vexant præstigia, ægritudinis suasione ægrum, & in ipsâ sanitate non valentem. Omnia in se animadvertit, omnia scrutatur, non timenda reformidat, levissima perhorrescit; quovis audito morbo se affectum existimat, quodcumque illi contigerit hujus longâ narratione Medicum defatigat; remedia efflagitat quorum desiderio suum fovet statum, usu sæpè sanitatem labefactaret. Quapropter ad laborantem animum sanitatis curam præcipuè spectare necesse est, & quasi uno obtutu acriter defixum varietate objectâ dissipare. Mens est in corpore quod sol in naturâ. Sole aut hyeme debilitato, aut nubibus intercepto, omnia in rerum naturâ contristantur & emoriuntur, nec nisi redeunte reviviscunt: mente studiis contractâ, aut tristitiæ nube obductâ languescit corpus, torpentque omnes illius functiones, nonnisi dissipatâ restituendæ. Sanitatem igitur animo neglecto tueri velle, idem esset ac inter hyemis squalores æstatis delicias requirere. Emollienda priùs illa pertinax animi rigiditas atque etiam diffringenda.

III.

JUVAT tunc corporis curæ prospicere. Ut enim restitutâ solis præsentiâ non statim absque culturâ terræ renascuntur fructus; sic animo restituto, dissipatisque ingravescentibus curis, non statim efflorescit perfecta sanitas, atque ad corpus etiam est attendendum. Apud Medicos autem constat temperamentum melancholicum audire fibrarum rigiditatem quasi spasmodicam, quâ velut immotæ remanentes, nullam in liquida possunt actionem exercere. Præ nimiâ enim tensione vix adhuc ultrà contrahi queunt, difficiliùs vero relaxari, in quorum motuum

alternis vicibus consistit oscillationis motus, partibus corporis nostri tam necessarius, ut pote qui solus functionum exercitium promovere possit. Nec parum huic opinioni favet experientia. Melancholici enim animi pathematibus vix affici queunt quin statim anxietates & angustias ubique percipiant. Irâ E. g. corripiuntur: gravantur statim & constringuntur præcordia, miram circà cor experiuntur contracturam, vix ullam vocem edere queunt, anhelant, tremunt cum rigiditate artus, spasmodicè & inæqualiter contractis musculis. Pallet facies, capillaribus ita contractis ut strangulentur, sanguini transitum denegent, circulationem intercipiant. Mortis imminet periculum. In tali partium solidarum statu quid de liquidis? Pereunte solidorum actione perit & liquidorum motus; perit illorum subactio, præparatio. Jam non attenuantur, non miscentur, ad secretoria non appellunt. Partes aquosiores à crassioribus segregantur, avolant, solæ per secretoria abeunt; cum iis subeundis impares sint crassiores, deficiatque vis illas ad ea propellens. Incrassantur itaque magis ac magis liquida, concrescunt, auctâque crassitie jam capillarium fines tranare nequeunt. Fiunt obstructiones omnis generis, innumeri inducuntur morbi quos futuros prævertere, quàm factis mederi longè facilius est. Porro inter ea quæ possunt hisce omnibus malis præire, primas merito sibi vindicat modica exercitatio, quâ scilicet leniter succutiuntur organa, attenuantur & miscentur humores, illorum expeditior fit circulus, promoventur secretiones, aperiuntur vasa, juvatur transpiratio, denique præcavetur ille partium torpor sanitati infensissimus. Hæc autem peregrinationem præstare evidens est, tristique & mentis & corporis statui pariter succurrere.

I V.

ILLIUS ea est suavitas & dulcedo, ut vix ullus sit qui vel solâ itineris narratione tacitâ quâdam non afficiatur voluptate, intimisque moveatur illecebris. Cui non mirè placet illa novi victûs inordinata ratio, perpetua diversoriorum, & ciborum, locorum mutatio, objectorumque continua vicissitudo? Præsertim cum ea sit hominis indoles, ut ex varietate & novitate plurimùm percipiat jucunditatis. Quem non movet & illustrium civitatum, & ædificiorum superborum, & monumentorum antiquorum, quorum fama celebriter in ore hominum versatur, præsens intuitio ac speculatio? Denique an quis est quem non incredibiliter delectet camporum semper nova, semper varia, semper læta facies; aut pratorum viriditas, aut florum varietas, aut segetum aspectus, aut vinearum pampinorumque species, aut aquarum cum murmure decursus, aut pecudum pastus, aut frondentes sylvæ, aviumque in iis garrientium concentus? Quibus omnibus quid potest esse lætius, jucundius, pulchrius? Et si quædam inculta, aut tristia loca passim offeruntur, ut umbræ in tabellis, cæterorum addunt venustati. Quòd si audientibus tam grata est commemoratio, quid res in ipso peregrinante? Omittamus igitur Melancholici ad iter omnia comparantis novam sollicitudinem, domesticam curam, motum, circumcursationem, tumultum, perpetuam avocationem & etiam morositate majorem; cum nempe cuncta distringit, & huic imperat, & hunc objurgat, & omnibus contradicit. Sequamur proficiscentem. Obscuræ musei uniformitati succedit læta camporum varietas, solitudini comitum societas. Invitat oculos picta virentium camporum facies, à cujus illecebris se non potest defendere, nec omnibus considerandis sufficere: auribus assiduè personant comitum colloquia, quorum strepitu primùm fatigatus, deinde paululùm assuefit, denique à consuetis objectis vacantem necessaria societas occupat, dulcedine movet; cæteris se incipit immiscere, ferocitas commercio emollitur, asperitas habitu lenitur. Accedunt communia prandia & pocula, diversoriorum casus & fortunæ, locorum omnium quæ prætereunt exploratio, quæ invisere & à cæteris cogitur, & ipse curiositate

impellitur. Contemplatur hîc sumptuosa ædificia, illic molem antiquitate claram, hîc solertem architecturam, ornatus eximios, victoriæ trophæos, informes ibi reliquias. Cujus hoc monumentum? Quæ hæc statua? quo fato hæc diruta? Cum cæteris colloquitur, ab iis inquirit, de antiquitate certat, temporis edacitatem increpat, vetustatisque invidiam. Sed Melancholiam nostram obliviscimur; & ipse Melancholicus oblitus est. Attentam temperamenti scrutationem, timidam morborum aucupationem post reliquit. Tempus cogitandi non est, nec jam ipse idem est. Olim ferox nunc humanus; olim solitudinem appetens, nunc societatem; ab hominum commercio sejunctus, nunc cum iis communicans; uni intentus, nunc successione novitatum distractus, tristis denique nunc exhilaratus.

V.

MELANCHOLICIS non minùs convenit Peregrinatio, quoad corporis illorum necessitates. Quid enim utilius iis esse potest quàm mutatio aëris inclusi, nec unquam renovati, quem perpetuæ dediti desidiæ & solitudine occlusi ducunt, in aërem apertum & liberum, sole exsiccatum, ventis agitatum & depuratum. Tunc enim levius fit caput, acuuntur sensus, gratiùs ducitur spiritus, percipitur sensus quidam in toto corpore, quasi partes sese exonerarent & expeditiores fierent. Quid diversa exercitationis genera quæ in peregrinatione reperiuntur commemorare opus? Vectionem, equitationem, deambulationem, cursum, &c? De quibus jam toties disputatum est, quorumque à multis exposita fuerunt quæ ad Melancholicos pertinent commoda. Si itaque singula hæc seorsim sumpta, tam utilia, tam accommodata Melancholicorum temperamento visa fuerunt; quid de peregrinatione dicendum, quæ omnium quasi congeries est, aut saltem in quâ sibi invicem ita succedunt ut vix reperias momentum quod ab omnibus vacuum sit? Nec aliâ de causâ tam sedulo curant Medici ut ægrotantes, quibus aquas minerales suadent, ipsarum originis loca adeant, illasque ex ipso fonte hauriant. Ipsarum enim aquarum commodis adjunguntur tunc peregrinationis beneficia. Sic leni agitatione & succussione corporis aquarum distributione adjutâ, feliciùs multo succedunt effectus ab ipsis expectati. Nonnulli etiam dubitant an plura aquis quam peregrinationi debeantur. Quidquid sit, saltem affirmari potest peregrinationem, tunc utilissimam esse, ut pote quæ locum dat exercitio sine quo nedum prodesset aquarum usus, è contra plurimùm noceret, cum aliter nonnisi ægrè distribuerentur, stomachoque & visceribus ponderi & incommodo fierent. Habemus igitur in peregrinatione quidquid Melancholicis, tum ex parte corporis, tum ex parte mentis utile esse potest, animi tristitiam varietate exhilaratam, curas dissipatas, corpus omnis fere generis exercitio agitatum, aquarum usum aliter parùm proficuum, utile factum & salubre. Concludamus igitur inter omnia quæ Melancholicis accommodata visa fuerunt, nihil esse utilius, nihil præstantius peregrinatione.

Ergò Melancholicis Peregrinatio.

Proponebat Parisiis JOANNES COLOMBIER, Tullensis, Medicus Duacenus, in Facultate Remensi Cooptatus, & Saluberrimæ Facultatis Parisiensis Baccalaureus. A. R. S. H. 1767. à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1767.